

Quando Ubertinus Bretenorium cepit.

CAP. CLVIII.

Eodem anno die ¹¹ mensis novembris dominus Ubertinus, Guidonis de Dufdeo filius, ^{Nov. 2.} adiutorio suorum amicorum et maxime comitis Rogerii, filii comitis Guidonis Guerrhe, et Boni comitis Montis Feltrani, et Bonifacii de Castrocario, Bretenorium cepit, expul-
sis amicis Petri Traversarii, domos, turres et moenia cuncta [a] Mainardorum, qui
eum in tanto laederant, in planum projectis et dignam pro meritis eis mercedem im-
pendens. Interea dominus Ubertinus, adiutorio comitis Rogerii, Boni comitis et Boni-
facii de Castrocario et Bulgarorum et aliorum quamplurium, fere totum planum Ra-
vennae usque Lunganam capientes et comburentes, praedam inde duxerunt non modi-
cam. Apud vero Sanctum Laurentium in Caesaria [A] per aliquot dies moram fecere.
Demum, regredientes Montem Cavallum [B] et Traversariam [C], castra dicti domini
Petri tota igne penitus destruxerunt et combusserunt [D] hostiliter, post multas ex
parte utraque varias et bellicas clades.

De obsidione civitatis Damiathe et de proelio ibi commisso.

CAP. CLIX.

Anno a nativitate Domini MCCXVIII [e], cum infinitus Christianorum numerus es-
set apud civitatem Acri, dimissa multitudo ibi ad civitatem custodiendam, ceteri
vero, de voluntate et consilio Venetum [d], Anconitanorum, Pisanorum, Genuensium,
Maxiliensium [e], atque ~~omnium~~ civitatum seu locorum, qui noverunt [f] naves de-
ducere [g], aura flante secunda, navigaverunt usque ad flumen magnum Euphratem,
quod distat a Ierusalem XII magnis diaetis [h]; ibi civitatem Damiatam obsederunt.

[a] domos, turres et moenia cuncta, C. M.; domos tres et moenia cuncta, C. V.; sed corrige sic:
domibus, turribus et moenibus cunctis. — [b] combusserunt. In C. M., combuxerunt. — [c] Anno a na-
tivitate Domini MCCXVIII, C. M.; anno Domini MCCXVIII. — [d] et consilio Venetum. Sic Codd. —
[e] Maxiliensium, C. M.; Marsiliensium, C. V. Lege: Massiliensium. — [f] qui noverunt, Codd.; qui
noverant, legendum putat Cl. Mitt. — [g] naves deducere. Sic lego in Codd. Cl. Mitt. legit: naves re-
ducere. — [h] magnis diaetis. Sic Codd. Diaeta hic sumitur pro itinere unius diei, sive XX milliarium,
vulgo giornata.

[A] in Caesaria, vel Caesarea, vicus olim sive suburbium, quo Ravenna conjungebatur cum oppido
Classis.

[B] Mons Cavallus erat castrum. Philippus electus archiepiscopus Ravennas promisit Benvenuto
iudici se remissurum omnem offensam Matthaeo Arnulphi, si repararet damna illata huic castro. Ex
charta ann. 1253, H 3037, Arch. Archiep. Rav.

[C] Traversaria. Castrum erat ad dextram ripam fluminis Anemonis, juxta chartas geographicas,
hinc milliariis decem. Blondus illud locat prope ingressum Anemonis in Padusam. Creditur ibi fuisse,
ubi nunc villa Spretorum, la Palazza modo dicta.